



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

VII. Quídnam Sacerdotes post Devm in remissione peccatorum operentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**



Quidnam Sacerdotes post DEVM in remissione peccatorum operantur? *Quaestio VII.*

*Responſio.*  
Ipsi tantum DEI est, hominem per internam cordis compunctionem excitare à morte; sed ad Pastores Ecclesiae deinde spectat, suscitatum à DEO, solvere à peccatorum vinculis, poenam, ut ait Gregorius, amovere, quam meruit, & ab aliquo temporario etiam alterius seculi flagello eruere & liberare. *Tho. 3. p. in add. q. 18. artic. 2.*

CHRISTVS igitur mortuum suscitavit, sed Apostoli solvunt; ille vitae restituit, hi peccatorum auferunt onus; ille ad Ecclesiam mittit, hi intra Ecclesiam recipiunt. Haec autem omnia, quae Apostoli faciunt, ut ministri Christi, & per virtutem Spiritus sancti faciunt.

*Absolvitne malus Sacerdos aequè ut bonus? *Quaestio VIII.**

*Responſio.*  
Dubium non est, quin, quod cum uterque potestate Diuina, non facultate propria, aut meritis, peccatorè absoluat, aequè uterque absoluat. Dictum enim est à Christo: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Cum igitur per Spiritum sanctum dimittantur peccata, impedimentum nullum est, quin ille, tam per bonos, quam